



BOLETÍN ECLESIAÍSTICO
DEL
OBISPADO DE SALAMANCA

SUMARIO

- I. Exhortación del Excmo. Prelado con motivo de la inauguración del nuevo templo de San Juan de Sahagún.—II. Circular del Obispado ordenando rogativas en los pueblos de la diócesi por la terminación de la guerra de Cuba.—III. Discurso de apertura de curso en el Colegio de Estudios Superiores.—IV. Aviso de la Junta del Santuario de Nuestra Señora de Valdejimena.—V. Hermandad de Sufragios mútuos espirituales del Clero.

EL OBISPO DE SALAMANCA

Á SUS AMADOS HIJOS LOS HABITANTES DE ESTA CIUDAD

Terminada ya, á Dios gracias, la fábrica de la Iglesia parroquial de San Juan de Sahagún de Salamanca, hemos dispuesto bendecirla y abrirla al culto el día 21 del corriente, en que Nuestra Madre la Iglesia celebra la Presentación de la Virgen en el templo.

Alabemos, ante todo, al Señor que se ha servido conce-

ernos el dar cima á una empresa extremadamente superior á nuestras fuerzas, y agradecemos de todo corazón las limosnas con que los amantes del culto divino han ayudado para una obra tan necesaria como grandiosa. Nuestra enhorabuena á Salamanca, que ve cerrado el ciclo de los derrumbamientos y las demoliciones, y le nacen de nuevo los días en que se restauren sus monumentos, y se levanten gallardas á los espacios nuevas torres, pregone-ras de su despertar de la actual postración. Basta de delirios y odios á la Iglesia y sus benditas instituciones; odios que cubren las ciudades de escombros, y con la ruina de sus glorias esparcen á la vez la incivilización y la miseria, la insalubridad y el hambre. Viva la fe de nuestros mayores, pura y castiza, engendradora de sanas costumbres, de la proverbial hidalguía española, y del vigor insupe-rable en las lides con nuestros enemigos.

En este día venturoso que señala una nueva era de prosperidad en los fastos religiosos de Salamanca, no puede, sin embargo, borrarse de la memoria la situación crítica de la patria, y puesto que los cultos hoy obligados deben consagrarse al Angel de la Paz, bien cabe regocijarnos de devolver á nuestro Patrono San Juan de Sahagún el altar que le derrocó la revolución, y al propio tiempo interponer su valimiento en la presencia de Dios para el triunfo de nuestras armas y rendición de los dominios de España á la debida y pacífica obediencia, á sus leyes y soberanos. Enderezado á este propósito, hemos acordado celebrar un triduo en la nueva Iglesia, precedido de solemne procesión en que se lleve la estatua del Santo Patrono, destinada para el flamante templo, desde la Santa Basílica Catedral.

Excusamos exhortar al pueblo salmantino, tan agradecido á los innumerables beneficios de su milagroso Pa-

trono, á que se esfuerce por resucitar los antiguos días de devoción al Santo y de gloria para la ciudad, que ore arrepentido y fervoroso, que acuda á recibir los Santos Sacramentos para que sus plegarias sean más pronto atendidas. Tiempo y ocasión es de orar, pues según nos enseña la Sagrada Escritura: «aparéjense los ejércitos para el día de la batalla: mas quien da la victoria es el Señor» (1).

«Lejos está el Señor de escuchar á los malvados; pero inclinará su oído á las oraciones de los justos» (2).

Esa es la senda del deber y el honor, por la que ascienden los pueblos á la cumbre de la bienandanza, y en la cual aspira á contemplaros perseverantemente vuestro afectísimo Prelado que os bendice † en el nombre del Padre † y del Hijo † y del Espíritu Santo. Amen.

Dado en Salamanca á 14 de Noviembre de 1895.

† FR. TOMÁS, Obispo de Salamanca.

La bendición de la iglesia de San Juan de Sahagún será, Dios mediante, á las ocho de la mañana del día 21 de Noviembre, que terminará con misa rezada del excellentísimo Sr. Obispo de la diócesi.

La procesión saldrá de la Catedral en la tarde del mismo día á las cuatro y media. Los Sres. Párrocos y los Rectores de ambos Colegios Seminarios, dispondrán lo conveniente para que á las cuatro se halle todo el clero y colegiales en la Catedral y se toquen las campanas del tránsito. A las seis de la tarde se celebrará el triduo dedicado al Santo, y el domingo, 21, se tendrá misa de comunión

(1) Prov. XXI-31.

(2) Prov. XV-29.

general á las siete y media; misa Pontifical á las diez y media con sermón del Ilmo. y Rvmo. Sr. Obispo de Palencia. En la tarde, *Te Deum* solemne y reserva Pontifical.

OBISPADO DE SALAMANCA

Circular

Ordenamos que en todas las parroquias de la diócesis fuera de la capital, se celebre una procesión de rogativa, cantando la Letanía de todos los Santos por el triunfo de nuestras armas y pacificación de la isla de Cuba. Asimismo damos licencia para exponer al Santísimo solemne ó privadamente, en cualquier otro ejercicio, del Santo Rosario por ejemplo, que según las rúbricas, desearan tener los Rectores de las iglesias con el mismo objeto.

Salamanca 14 de Noviembre de 1895.

† EL OBISPO DE SALAMANCA.

DISSERTATIO

QUAM

IN SOLEMNI STUDIORUM INAUGURATIONE

COLLEGII SALMANTICENSIS AMPLIORUM STUDIORUM

HABUIT

DR. D. ELOINUS NACAR FUSTER

IN EODEM COLLEGIO PROFESSOR

Nostis omnes, Excellentissime Praesul, Magistri clarissimi, adolescentes lectissimi, nostis, inquam, omnes quam durum, acerbum, apertumque bellum catholicae indixerint Ecclesiae hostes ipsius infensissimi.

Neminem vestrum latet, aspera quae fervet pugna inter eos, qui propriam rationem fidei jugo submittent, supernaturalem revelationem admittunt atque tuentur, et eos, qui jugum tam suave tumide excutientes, totam supernaturalem oeconomiam rejiciunt, funditusque evertere conantur.

Quum autem hujus supernaturalis oeconomiae firmissimum atque praestantius fundamentum sit inestimabilis ille Sacrorum Librorum thesaurus, quo Deus arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefecit, et quem Christus Dominus Ecclesiae catholicae incorruptibiliter asservandum atque infallibiliter interpretandum tradidit; eo praecipue tela sua convertunt hostes, ut Biblia haec sacra tum supernaturalitatis et divinae originis dignitate exspolient, tum etiam ut ea humana ipsa authenticitate et veracitate priva esse demonstrent. Quod ut assequantur, nihil intentatum reliquunt, et scientiarum omnium ditioribus finibusque perlustratis, speciosas, undique collectas rationes opponunt, quarum numero et validitatis specie catholicae veritatis propugnatores obruant proterantque.

Quo fit ut illi, quibus Sacrarum Scripturarum vindictio incumbit, si audacissimos adversariorum impetus reprimere, et de hostibus palmam reportare velint, scientias illas diversas, a quibus isti arma petunt, optime notas habere debeant, nec ad nova hostium arma et praelia insueti esse possint.

Quae quum ita sint, Auditores amplissimi, quid mirum, si eorum omnium quibus accurata incumbit clericorum institutio, eo semper conspirarunt vota, ut Sacrorum Bibliorum doctrina ad exoptandum perfectionis culmen adduceretur, et congruentius ad praesentium temporum necessitates dirigeretur?

Inde est, quod clarissimi nostrae hujus ecclesiasticae provinciae Antistites, in primo Vallisoletano Concilio congregati, quando novi cujusdam Archigymnasii erectioni providerunt, in quo delecti uniuscujusque dioecesis adolescentes studiis ecclesiasticis altioris ordinis vacarent; illud in primis prae oculis habuerint, ut biblica studia, quae inter ecclesiastica principatum tenere nemo inficiabitur, assidue et fructuose colerentur.

Quapropter, quum hodie novi hujus Archigymnasii aulae, secundo jam, eas frequentantibus patere debeant, ut fauste denuo studia inaugurentur; aegre non feratis spero, si de biblicis studiis disserere proponam, atque sapientissimi D. N. Leonis XIII vestigiis inhaerens, iis potissimum, quibus in encyclicis litteris *Providentissimus Deus*, nobilissimum hoc Sacrarum Scripturarum studium excitat et commendat, talium studiorum praestantiam inculcare, et quo modo praesenti rerum conditioni apte ea sint ordinanda enucleare enitar. Rem tamen, utpote meis humeris inaequalem, aggredi ausus non ero, nisi vestra omnium notissima benevolentia fretus, vestra indulgentia atque benignitate confisus.

Si populorum omnium, qui antiquitus vita civili flourerunt, longum recenseatur agmen, vix possibile erit, vel unum tantum invenire, qui de quorundam sacrorum voluminum possessione non gloriatur. Hujuscemodi libros, tanquam a divinitate ipsa miro modo receptos, producant populi, consensioni vero istae gentium omnium universali et constanti, ineluctabile jam subjaceret argumentum, quo, non modo possibilitas, verum etiam ipsa existentia primitivae cujusdam revelationis, adversus rationalismi sectatores evinceretur.

Ut romanorum graecorumque mythologicas doctrinas

praetermittam, *Vedas* suos proferunt indiani, suum *Avesta* persiani, suos *Kings* sinenses, et in manuscriptis papiris exsculptisque monumentis geroglyphicis, in fictilibus chaldeorum et marmoreis assyriorum inscriptionibus cuneatis, hodie animum excolere licet religiosis doctrinis populorum eorum, qui vetustissimis aetatibus Nili, Tigris et Eufratis ripas inhabitantes, tanto tempore mundi totius tunc civilis imperium tenuerunt, donec, juxta noeticam benedictionem, japheticum genus dilatari incepit, et mundi sceptrum, quod numquam dein dimissit, adeptum est.

Attamen in omnibus praedictis humanae sapientiae documentis, non modo egregia illa primitivae supernaturalis revelationis vestigia, quae in ipsis deprehenduntur, verum etiam ipsae naturalis ordinis veritates, humanae rationi non imperviae, crasissimis erroribus permiscentur, superstitiosis innumeris fabulis atque commentis obscurantur et deturpantur.

Solum in libris illis, quos haebraica gens a Deo ipso per prophetas accepisse testatur, quique illis adjuncti quos Christi D. discipuli conscripserunt, atque in corpus unum collecti, in Ecclesiae catholicae canonem sunt recepti; supernaturalis doctrinae systema omni errore immune, omnium fabularum expers reperire licet. Isti talibus antiquitatis, authenticitatis, veracitatis characteribus insigniuntur, ut etiam sub humano tantum respectu caeteris quibuscumque nequeant comparari, quin pro omnimoda ipsorum praestantia sit pronuntiandum.

Verum quod praecipuum est, in libris istis, talis eminet doctrinae sanctitas et sublimitas, talis partium omnium apta dispositio et mira concordia, talibus demum divinae sapientiae et potentiae propriis sigillis sacra haec voluminae sunt obsignata, ut ipsorum origo homini solo nullo pacto possit attribui, sed supernaturali modo, Deo ipso

auctore, fuisse conscripta, ultro profitendum et incunctanter asserendum sit.

Reliquas quascumque veterum populorum theologicas et cosmogonicas doctrinas percurre, easque ridiculo polytheismo inficiari aut absurdissimo pantheismo foedari comperies.

Divinas e contra haebreorum et christianorum Scripturas pervolve, atque miraberis quomodo ab ipso jam limine, personalem supremi numinis existentiam asserant, ejusque indivisam unitatem obtestentur. Rerum omnium si originem scruteris, eas omnes a Deo per creationem exortas edoceris. Hominem quoque ab ipso Deo plasmatum, ad supernaturalem ordinem elevatum, inde misere per primum peccatum lapsum, erudieris. At ne tanto casu animo deficias, sed promissam reparationem adverte, eam demum per ipsum Dei Unigenitum Filium opere completam disce, et stupebis. Stupebis, inquam, dum divinam omnipotentiam, sapientiam, justitiam, misericordiam, tam in naturalibus quam in supernaturalibus ordinatissimo systemate, mira et admodum insueta ratione descriptam et commendatam contemplaberis.

Quid ergo mirum, Auditores, si hujusmodi libri, cum ita inter alios omnes, sive sacros, sive profanos, emineant, quid mirum ajo, si simul ac eorum notitia est evulgata, studio omnium tenacissimo fuerint exculsi?

Praesertim vero, tanta cum sit dignitas harum Scripturarum ut Deo ipso auctore confectae, altissima ejusdem mysteria, consilia, opera complectantur, quomodo non consequatur, in illis scrutandis, explicandis, tuendis vel impugnandis quotquot litteras adamarunt, insudasse?

Et sane, A. cum christianae religionis propagatio causa fuerit, ut tum Veteris, tum Novi Foederis volumina longe lateque innotuerint, ab ipsis jam ecclesiae catholicae in-

cunnabulis ea in varios sermones vertere, exponere, interpretari, commentari, curarunt multi, totque tantisque virorum doctorum scriptis ansam dedit, ut si quidquid de Sacris Bibliis disceptatum est in unum congeri deberet, locus tot tantorumque voluminum capax non posset inveniri.

Inde jam patet, quanta sit biblicorum studiorum praestantia, cum enim biblica studia nihil aliud pro objecto habeant, nisi Divinas Litteras interpretari et ab oppugnantium calumniis vindicare, obsequium ipsum verbo Dei praestandum, ea quam praecellentiora esse convincit.

Nec tamen haec unica est causa cur Sacrarum Litterarum studium tantopere sit commendandum, sed aliae dantur innumerae quas evolvere, nec temporis angustia, nec hujus dissertationis limites paterentur.

Omnibus nota est maxima earum sive ad propriam sive ad aliorum aedificationem utilitas, uti enim S. Paulus loquitur *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad crudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1).

Nemo vestrum ignorat quam necessarium sit Sacrarum Litterarum studium, si res theologica rite et pro dignitate tractanda sit, *non enim accipit theologia sua praecipua ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem* (2). Haec tamen aliaque similia ne longior sim. praetermittens, illud jam enarrare aggrediar, quanti nimirum Sacras Litteras fecerint tum ipse D. N. J. C., tum ipsius Apostoli, tum demum quotquot postea in Ecclesia catholica vitae sanctitate et rerum divinarum doctrina floruerent. Novi enim

(1) II Timoth. III, 16-17.

(2) S. Thom., *Summ. Theolog.*, 1-1, a. V ad 2.

nihil melius nostros animos flectere, nihilque vehementius in rei cujuscumque amorem incendere, quam praeclara majorum exempla.

Jamvero, *ipse qui miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem* (1), ad Sacras etiam Litteras in divinae suae legationis numere appellare consuevit: ex ipsis se a Deo missum Deumque declarat (2): ab ipsis argumenta petit quibus discipulos erudiat et doctrinam suam confirmet (3): earundem testimonia a calumniis vindicat obtrectantium et saducaeis ac pharisaeis ad coarguendum opponit (4): eas in Satanam ipsum impudentius sollicitantum retorquet (5): eas demum sub ipsum vitae exitum usurpavit atque discipulis redivivus explanavit usque dum ad Patris gloriam ascendit (6).

Sancti vero Apostoli, tametsi dabat ipse Dominus signa et prodigia fieri per manus eorum, magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut judaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes (7).

Proximi jam Apostolorum discipuli in quibus Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Polycarpus, et Apologetae, nominatim Justinus et Irenaeus, epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent ca-

(1) S. August., *De utilit. cred.*, XIV-32.

(2) Matth. XXI-13 seqs.; XXI-42; XXII-41, seqs.—Luc. IV-18, seqs.—Joan. V-46; VII-38; X-34.

(3) Matth. XIX-16, seqs.; XXVI-31.—Marc. XI-17; XII-10; XIV-27.

(4) Matth. IX-11-13; XII-2, seqs.; XV-1, seq.; XIX-3, seqs.; XXII-3, seqs.; XXII-23, seqs.—Marc. II-25; VII-6; XII-26-35.—Luc. VI-2, seqs.; XX-27, seqs.—Joan. VII-19, seqs.; VIII-3, seqs.

(5) Matth. IV-4-7-10.—Luc. IV-4-8-12.

(6) Matt. XXVII-46.—Marc. XV-34.—Luc. XXIV-27-45.

(7) *Encycl. Providentissimus Deus.*

tholicorum dogmatum, e divinis maxime litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessebant.

Scholis dein cathecheticis et theologicis in multis sedibus episcoporum Alexandriae praesertim, Antiochia, Edessae et Nisibe exortis, quae in eis habebatur institutio non alia prope re, nisi lectione, explicatione, deffensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et Scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea jure ea sit appellata.

Inter orientales principem locum tenet Origenes celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cujus ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures qui hujus disciplinae fines amplificarunt; ita inter excellentiores Clemens Alexandrinus eloquentia, philosophia et omnigena eruditione praestans, Gregorius Neocesariensis Origenis in Palaestina discipulus, Basilius Magnus Caesareae in Capadocia Episcopus, Gregorius Nazianzenus hujus amicissimus et in Scripturarum studio socius, Gregorius Nysenus Magni Basilii frater ejusque sanctitatis et doctrinae aemulator, Didimus Alexandrinus, Athanasius, Dionysius Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus et Epiphanius, qui omnes ex Alexandrina schola prodire; ex schola Antiochenae Joannes Chrisostomus, in quo doctrinae sacrae peritia cum summa eloquentia certavit, Theodorus Mopsuestenus, Eusebius Emesenus, Isidorus Pelusiota, Teodoretus; ex Edaessenae demum et Nisibena Efrems Syrus, Jacobus Sarugensis, Isaac Magnus, Marutha, et Jacobus Nisibenus.

Neque id praeclare minus apud Occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis M. Cassiodori et Gre-

gorii Magni; clarissima Augustini et Hieronymi, quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis; alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus.

Ex eo tempore ad undecium usque saeculum quamquam hujusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore et fructu viguit, viguit tamen opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare ut ab Isidoro nostro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valfridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorundem integritati novis curis consuleri, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt.

Saeculo duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo autem genere S. Bernardus caeteris facile antecessit, cujus etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere Scholasticorum. Qui etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaue ab ipsis *correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cujusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium: investigata scriptorum proposita: explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de Theologia

libri, tum in easdem commentaria, quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. Postquam vero Clemens V. Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius in nativo Bibliorum Codice et in exemplari latino elaborari coeptum est. Revecta deinde ad nos eruditione graecorum, in multoque magis arte nova libraria feciliter inventa, cultus Scripturae Sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, vulgata praecipue, catholicum orbem quasi compleverint.

Neque praeterendum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Vienensi Concilio ad Tridentinum in rei biblicae bonum provenerit; qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas majorem opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsequuti saeculi quod ab eodem Tridentino effluxit, cum nobilissima Patrum aurea aetas propemodum rediisse visa est. Tunc insignes illae criticae editiones, tum versionum veterum, tum vulgatae et Alexandrinae fuerunt adornatae; tunc praeclarum illud bibliorum polyglottorum opus inceptum est, tunc nullus utriusque testamenti liber qui non plus uno nactus sit optimum explanatorem (1); tunc ingens floruit interpretum numerus quorum catalogum solummodo texere longissimum esset; sufficiat hic nominasse Sixtum Senensem, Masium, Jansenium Gandavensem, Forerium, Agellium, Serarium, Estium et Lucam Brugensem, qui proprium nomen clarissimum fecerunt; Bellarminum, Cornelium Alapide, Lorinum, Gordonium, Tiri-

(1) Hucusque traditam biblicae exegeseos historiam ad verbum quasi ex *Encyclica Providentissimus Deus* deprompsi.

num, Bonfrerium, Simonem de Muis et Morinum, qui gloriam longe duraturam acquisierunt; Maldonatum, Salmeron, Ribera, Prado, Toletum, Arias Montanum, Alcazar, Sanctium et Pinedam, qui nominis sui memoriam immortalitati commendarunt, quosque, nobilium ingeniorum semper fecunda, tulit Hispania nostra.

At quomodo eos dixi nominasse sufficiat, praesertim cum eorum multi Salmanticae docuerint et *almae matri* gloriam tantam contulerint? Sane mihi suadere non potui quominus altum de celeberrima Universitate silerem et aliqualem filiorum ejus, qui in biblicis studiis claruerunt, enumerationem non conficerem.

Hujus Universitatis filius est clarissimus, egregius ille vir Franciscus Gimenez de Cisneros, S. R. E. C. cujus munificentiae debetur prima quae ubique terrarum prodiit editio Bibliorum polyglotta, in qua Alfonsus medicus complutensis, Paulus Coronel doctor salmanticensis et Alfonsus de Zamora hebraicum et chaldaicum textum curarunt, graecum vero et latinum, Demetrius Ducas Cretensis, Antonius de Nebrija nostrae Universitatis, decus, Jacobus Lopez de Zuñiga et Ferdinandus Nuñez de Guzman.

Salmanticae quoque doctrinam hansi eximius ille Alfonsus de Madrigal, cognomento Tostatus, cujus operum pars major in Sacris Scripturis explicandis versatur, quique eruditione sua coevos tantopere stupefecit, ut in epitaphio ejus scriberent «hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne».

Salmanticae etiam studiis vacavit Joannes Maldonado, cujus in quatuor Evangelia comentarius tantum praestat, ut hodie adhuc illo meliorem non extare, possit affirmari.

Salmanticae per sexdesim annos sacra biblia docuit Franciscus de Ribera, de quo Sanctae Theresiae a Jesu

Dominum dixisse fertur, «hic est, qui germano sensu meas Scripturas ea veritate explicat quam ipse infundo».

Salmantica in litteris enutrivit Franciscum de Toledo S. R. E. C. qui a Gregorio XIII, in epistola ad Albertum Babariae ducem «omnium qui nunc sunt virorum sine ulla controversia doctissimus» appellatus est, quique ita S. Joannis evangelium explanavit ut nemo eum superaverit.

Salmanticensis quoque Universitas inter praestantissimos enumerat filios Ludovicum illum a Leon, cujus cineres ipsa religiosa asservat, qui tum sacris tum patriis litteris decus auxit. Publicae ejus lectiones tum ob eximiam eruditionem, tum ob pulchram et admodum ornatam dictionem, ita adolescentibus in amore erant, ut ad eum audiendum turmatim et festinanter properarent. Extant ejus non pauca exegetica opera nuper Excell. Praesulis cura edita, praestat tamen inter omnia «triplex in canticum canticorum explanatio», quae ipsum praestantissimis omnium interpretibus adnumerat.

Salmanticenses etiam aulas frequentavit Benedictus Arias Montano, quem Philippus II, praestantissimae editioni polyglotorum Antuerpiensi praefecit, quo factum est, ut non modo prima quae polyglottorum prodiit editio, verum etiam omnium praestantissima hispanorum hominum ingenio et munificentiae deberetur. Arias Montano, praeter optimos quos edidit comentarios tum in universum Novum Testamentum, tum in majorem Veteris partem, illud quoque in re biblica eximie perfecit, ut omnium primus res ad archeologiam biblicam spectantes, quas hinc inde sparsas in praedecessoribus suis invenire potuit, in unum de suis auctas collegerit, atque XII Antiquitatum biblicarum editis libris, ita novae hujus tractationis fundamenta jecerit ut illius parens merito ab omnibus salutetur.

Alios perplurimos tum magistros tum discipulos tulit

Salmanticensis Universitas, qui Sacras Scripturas vel in totum vel ex parte interpretati sunt, vel qui ob eximiam linguarum peritiam per plurimum ad biblica studia promovenda contulerunt; ita Petrus Ciruelo scripsit Pentatheuchi, Job, Psalterii, Proverbiorum, Ecclesiastes, Cantici Canticorum, Esther et Ruth haebraicam simul et latinam interpretationem. Paulus Coronel et Antonius de Nebrija graecae et haebraicae linguae peritissimi operam in polyglottis Complutensibus impenderunt. Joannes Alonso Curiel scripsit controversias in diversa loca Sacrae Scripturae, Didacus Deza super orationem dominicam, Sebastianus Perez de sensibus Sacrae Scripturae; Pentateuchum commentati sunt, Martinus Alonso de Cordoba et Petrus de Salazar; Job, Didacus de Zuñiga; Prophetas majores et minores, Christophorus de Castro, Leo de Castro, Gaspar Grajar, Franciscus de Mendoza Bobadilla, Michael de Palacios et Hector Pinto; Canticum canticorum, Sapientiam, et Ecclesiastem, Christophorus de Fromesta et Joannes de Osorio; Evangelia, Epistolas apostolicas et Apocalypsim Didacus de Estella, Petrus Machado, Michael de Palacios, Gaspar de Melo et Joannes de Ribera.

At quid plura? Quis poterit ea quae Salmanticensis Univ. in biblica studia, sicuti in reliquas quascumque humanarum cognitionum partes, contulit, sufficienter disserere? Sufficiat demum meminisse, eam omnium scientiarum principem docuisse.

Quapropter A. cum sufficienter jam tum ex ipsa Sacrarum Litterarum natura, tum ex majorum nostrorum plaeclaris exemplis, quantum biblica studia praestent innotuerit, ad alteram dissertationis partem gressum faciam, et quam brevissime, tempus siquidem velocissime labitur, quomodo biblica studia sint ordinanda, praesertim ut temporum nostrorum conditioni congruant, exponam.

Cum difficiles et obscurae sint Sacrae Scripturae, cumque impiorum hominum conatus eo praecipue tendant, ut eas vel in pravos suos sensus detorqueant, vel mendaces et omni auctoritate privas esse demonstrent; earum propugnatori par erit, omne studium adhibere, tum ut genuinum sensum statuatur, tum ut ipsarum veracitatem ac divinam auctoritatem tueatur et defendat.

Inde est quod studia quae sacra Biblia pro objecto habent quaeque biblica cognominari solent, duplicis sint generis, exegetica nimium et apologetica, prouti de rectae eorum interpretatione vel de ipsorum vindicatione agunt.

Huic autem duplici studiorum generi tertium adjungatur necesse est, cujus objectum sit, ad Sacrarum Scripturarum studium introducere. Nemini sane dubium est, primos Sacrorum Librorum lectores, quibus proxime illi erant destinati, nulla introductione indiguisset ut eos intelligerent. Quemadmodum enim et nos hodie libros vernacula nostra lingua exaratos, et de argumentis obvis vel nobis magis minusve notis a coevis scriptoribus in nostrum usum conscriptos, sine multo et magno labore intelligimus, omnia siquidem quae in illis supponuntur, ex quotidiana vita cognita habemus; sic etiam primi pentateuchi lectores, quibus praesentibus multa quae Moyses narrat sunt gesta, quique leges per eum datas, quotidie observari et adhiberi viderunt, aequae parum longa praeparatione ad eorum intelligentiam indiguerunt. Similiter etiam de primis christianis dicatur, relate ad apostolica scripta interpretanda, cum in iisdem ac Apostoli ipsi rerum conditionibus fuerint constituti, atque ea omnia ad quae illi in suis epistolis allusserunt, aut quasi viva prae oculis habuerint, aut ex recenti et vivida traditione hauserint.

Saeculorum autem decursu, haec rerum conditio non potuit non immutari, et hodie studium Sacrarum Scriptu-

rarum, si quis illi cum fructu vacare velit, longam et laboriosam requirit praeparationem, qua obscuritatis et difficultatis fontes detegantur, et apta huic solvendae ad jumenta exhibeantur. In primis enim quum difficillimum ac pene impossibile sit, librum aliquem interpretari, quin ipsius originem, historiam, auctoritatem noverimus optime, inquirendum primo loco est, qui sacrorum librorum sint auctores, quando, quibus in adjunctis, quem in finem sint conscripti, quomodo ad nos usque pervenerint, utrum integre et incorrupte fuerint asservati, quando et cur in unum corpus conjuncti, quod eorum sit argumentum et quomodo illud evolvant, quid ad eorum explicationem hucusque sit praestitum, quibus adjumentis in illis interpretandis adjuvari possimus, ad quid demum in eorum expositione sit attendendum.

Quae omnia in unum collecta et ordinate tradita disciplinam illam constituunt, quae historica et critica in Sacram Scripturam introductio appellari consuevit.

Quum praeterea linguae, in quibus nostri sacri codices primitus exarati sunt, obsoleverint, et a multo jam tempore vulgares esse desierint, earum studium interpreti omnino necessarium est, tum ut de versionum quibus utimur fidelitate possit judicare, tum ut verborum ab agiographis adhibitorum significatione perspecta, sensum ex illis profluentem possit perscrutari. Quae linguarum notitia haebraicae praesertim et graecae, philologiae biblicae objectum constituit.

Requiritur insuper ad rectam Sacrarum Scripturarum intelligentiam accurata notitia locorum, in quibus gesta narrata evenisse dicuntur, geographica proinde descriptio tum Palaestinae, tum regionum de quibus in libris sacris fit mentio: quae ad Geographiam biblicam pertinent.

Est praeterea omnino necessaria notitia divisionis tem-

porum, quae a sacris bibliis adhibetur, sine exactae enim temporum divisione rerum praeteritarum notitia nec recte intelligi nec probe aestimari potest; debet igitur interpres Chronologiam biblicam optime cognoscere.

Desideratur denique in sacrorum Bibliorum interprete accuratissimum studium adjunctorum, in quibus tuum sacri auctores, tum ipsi eorum lectores versabantur, ita ut ipsi innotescant mores, leges, instituta, monumenta, politicus et religiosus reipublicae status tum populi judaici, tum etiam populorum eorum, cum quibus hebraei sive pacificum sive bellicum commercium habuerunt. Sacri enim auctores haec aliaque similia, talia qualia sua erant aetate, ubique supponunt sibi et lectoribus familiaria, ad haec passim alludunt, ex his imagines et figuras, modosque loquendi frequenter desumunt, nec unquam de his explicandis solliciti sunt quod prorsus abs re fuisset. Nobis ergo, qui ab iisdem auctoribus aetate tam remoti sumus, et in regionibus atque adjunctis tam diversis versamur, moribusque tam diversis utimur, illa omnia sedulo addiscenda sunt, si velimus mentem Hagiographi in omnibus locis recte intelligere, Scripturarum sublimitatem, pulchritudinem et efficaciam ubique percipere, et adversariorum cavillationes aliasque ocurrentes difficultates solide et cum causae cognitione dissolvere.

Quae ut assequatur interpres, archeologiam biblicam adeat, et antiqua monumenta ut inscriptiones in Palestina et vicinis regionibus repertas et varia humanae artis opera, ut sepulchra, aedificia, sculptas vel pictas figuras, instrumenta, nummos aliaque similia, quibus vel eventus commemorantur, vel populorum cultura, mores, ingenium repraesentantur, diligenter exploret et perscrutetur. In his autem ea praecipue investiget, quae nostris hisce temporibus, patientissimo investigatorum labore et inveniri et

interpretari, divina providentia disponente factum est. De aegyptiis loquor, assyriis, chaldaeisque monumentis, quae praestantissimam et uberrimam biblicae archeologiae partem constituunt, quorum moles tantum in dies excrevit, ut de illi separatim in aegyptologiae et assyriologiae biblicae disjunctis tractatibus agere necessum fuerit, et quibus aegyptiorum, assyriorum et chaldaeorum gentes, hucusque nobis penitus ignotae, quasi e sepulchro excitatae, novi et inexpectati testis munere funguntur, qui irrefragabili suo testimonio, omnes rationalistarum cavillationes, omnia dubia, hypotheses et temerarias assertiones uno veluti ictu convellant.

Clasicae tamen, ut ajunt, et christianae archeologiae etiam incumbat, illa enim, quae de veteribus graecorum romanorumque monumentis, moribus, institutionibus agit, multum ad Veteris Testamenti libros, qui posterioribus aetatibus sunt conscripti, intelligendos confert; haec vero, quae de primorum christianorum usibus, et institutionibus judicat, ad Novi Testamenti libros recte interpretandos est omnimode necessaria.

Quicumque igitur Sacrorum Bibliorum interpretationem fructuose aggredi contendat, praeviis hisce biblicis studiis introductoriiis praemuniatur oportet, si quis tamen, tali spretpraeparatione, rem adeo operosam suscipere audeat, a vero in multis non poterit non deflectere, uti enim ipsa quotidiana docet experientia, omnes qui harum rerum ignari ad sacra biblia scrutanda accesserunt, innumeros gravesque errores prodiderunt.

Hoc studiorum genere praemisso, catholicus interpres ad exegetica studia gradum facere poterit, et criteriis tum rationalibus, philologicis, nempe, logicis et historicis, tum dogmaticis, quae ex ipsa divinarum scripturarum inspiratione et ex infallibili ecclesiae magisterio oriuntur, adju-

tus, poterit tuto et fructuose Sacrarum Scripturarum sensum ubique litteralem, typicum vero ubi sufficienter innotuerit intentio Sp. Sancti, res quasdam vel personas ad alia significanda assumptis, et invenire, et versionibus, parafasibus, adnotationibus, glossis, scholiis, postillis, commentariis, dissertationibus, praelectionibus, homiliis, caeterisque id genus, aliis illum rite proponere.

Hisce jam de introductoriiis et exegeticis studiis delibatis, ut brevi huic studiorum biblicorum enumerationi finem imponamus ad apologetica studia gradum facimus.

Uti tamen omnibus patet, nullum est dubium hujusmodi studiorum genus tantum extendi posse, quantum diversa capita unde Sacrae Scripturae possint oppugnari; quapropter, si horum studiorum enumerationem non interminabilem tradere velimus, et si temporum necessitatibus, uti par est, apologetica studia debent accomodari, maximi utique interest ab initio jam, quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel armis vel artibus confidat, recognoscere. Ut autem optime innuit sapientissimus Pontifex Leo XIII in Encyclica *Providentissimus Deus*, «ut antea cum iis praecipue res fuit, qui privato judicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerunt unicum revelationis fontem, supremumque judicem fidei; ita unum est cum rationalistis, qui eorum quasi filii et haeredes, item sententia ninixi sua, vel has ipsas a Patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abjecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam Sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dicunt nisi hominum artificia et commenta.

Jamvero, cum ad exitiale hoc opus critica potissimum arte, et philologicis, historicis atque phisicis scientiis juventur, iisque abutantur, tum ut Sacrorum Bibliorum au-

thenticitatem convellant, tum ut in ipsis multos gravesque errores inveniri contendant, muneri suo catholicus apologeta non faceret satis, nisi demoletrici rationalistarum criticae, sanam criticam opponat, philologica eorum commenta, accuratis philologicis observationibus destruat, historicarum demum et phisicarum rerum adhibita scientia, nihil in Sacris Bibliis, quod historicum vel phisicum errorem sapiat, inveniri posse demonstret, ut sic, Sacrorum Bibliorum authenticitas magis magisque firmetur, ipsorumque veracitas vividius semper in dies elucescat.

Ecce breviter, A. O. exposita, ad quae Sacrarum Scripturarum cultor attendere debeat; en quibus biblicorum studiorum circulus concludatur. Ad haec indefesso labore excolenda Leo XIII, feliciter regnans in encyclica *Providentissimus Deus* hortatur, haec studiosae juventuti tradenda meliori quo fieri possit modo nostra hujus ecclesiae provinciae Antistites statuere; horum studium inter praecipuos novi hujus archigymnasii fines enumeratur; iis vigili cura vacare nos suadet, tum sacrarum scripturarum praestantia et dignitas, tum Chr. D. et Apostolorum exempla, tum clara Patrum, Scriptorum, Doctorumque qui nos praecesserunt eximia gesta.

Nec dicamus haec majora esse quam quae homo solus excolere valeat, «neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus», aiebat jam Chrisostomus (1) «sed multiplex est bellum et varii hostes... neque iisdem omnes utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congressuri moliuntur. Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitatas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et miles, pedes et eques, navalis et muralis

(1) *De Sacerdot.*, IV-4.

pugnae peritus, nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si una negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere».

Praestaret equidem nunc, hodiernum statum biblicorum studiorum in hispania nostra enarrare; verum, quid de eo dicere possem, quod nos pudore non afficeret, cum a multo jam tempore nihil in ea nisi vulgarem bibliorum versionem, eamque peritorum iudicio non optimam, atque unum alterumve introductionis manuale praelum sudaverit?

Pudeat nos A. gloriosa praesertim nostrae Universitatis in re-biblica historia perspecta, tanto jam tempore a Sacris Bibliis excolendis recessisse, hodie praesertim, eum ubique terrarum, elapsi saeculi excuso torpore, alacri animo studia biblica instaurantur, rubor tamen iste in talium studiorum amore nos incendat.

Si tamen haec nos movere non possunt, moveat saltem exitium, quod fidei christianae rationalismus biblicus minuitur, moveat immane bellum, quod contra catholica dogmata rationalistae gerunt.

Faxit summa et individua Trinitas, Sacrarum Scripturarum auctrix, ut hoc archigymnasium, quod ipsi dicatum voluit Praesul Excellentissimus, innumero electoque interpretum et apologetarum aegmine genito, biblica studia denuo in Hispania excitet, promoveat et pristino splendori restituat.

DIXI



A V I S O

Deseando la Junta directiva reorganizar la cofradía de Nuestra Señora de Valdejimena, instituida en el Santuario de su nombre y canónicamente aprobada, para lo cual es preciso, en primer término, reformar la lista general de los Cofrades á ella pertenecientes, se suplica á todos los Párrocos, Ecónomos y Encargados de parroquias tengan la bondad de remitir á la Secretaría de Cámara y Gobierno de este Obispado, una nota de todos los Cofrades que existan en sus respectivas feligresías, en el término de treinta días á contar desde la publicación de este anuncio en el BOLETIN ECLESIAÍSTICO.

EL SECRETARIO DE LA JUNTA

CELESTINO HERNÁNDEZ

HERMANDAD DE SUFRAGIOS ESPIRITUALES DEL CLERO

Ha ingresado en la Hermandad de Sufragios Mutuos del Clero, el presbítero D. Ruperto Cantero, Ecónomo de Serradillo, diócesi de Ciudad-Rodrigo.